

AUCTOR LECTORI.

AD eam tandem pervenimus Philo-
sophiz partem, quæ *Physica* seu *Scien-
tia nature* appellatur, præstantissimam sa-
ne disciplinam. De hoc præclarissimo studio
quas inventis omnino quidem injustas ho-
minum opiniones. Alii huic studio uni-
ce addicti, totique, ut ita dicam, man-
cipati, de aliis disciplinis haud supra vul-
gus sapiunt, hanc solam, quam profitentur
& amant scientiam, summo opere prædicant,
& cunctaque præterea doctrinæ genera fasti-
diose contemunt. Alii physices studium
tamquam incertum & inutile arrogantius
& temere traducunt, immo velut prophe-
tium proscribunt & *Ecclesiasticis* viris vix
concedendum. Primam opinionem, quæ
quidem error est perniciosissimus, necesse
non est ut fufus refellam. Et certe nemo
nescit ad tria capita generatim revocari
omnes, quantum patent, humanas cogni-
tiones; Dei enim & animæ nostræ contem-
platione, atque corporum, sive naturæ ob-
servatione studia omnia nostra continen-
tur. Quod Dei contemplationem spectat,
sacram scilicet Theologiam, æquis æquus
rerum æstimator divinam hanc scientiam,